

## CAPUT II.

## DE CONFESSIOE.

## § I. DE INTEGRITATE IN CONFESSIOE REQUISITA.

## Punctum I. De extensione integritatis.

**283. I.** Ex jure divino tenentur poenitentes omnia peccata mortalia post baptismum commissa, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione accusare. Hanc doctrinam a Trid. definitam (Sess. 14. c. 5. et can. 7) supponimus a Dogmaticis demonstratam.

Distingui solet integritas **materialis** et **formalis**. Prior habetur quando exprimuntur omnia peccata, quorum poenitens reus est, seu ad quae exprimenda per se tenetur (n. 258); posterior, quando exprimuntur omnia peccata quae poenitens potest et debet exprimere, secundum practicum ipsius conscientiae dictamen. Manifestum est nullum discrimen inter materialem et formalem integritatem fore, nisi quis, propter oblivionem aliudve physicum impedimentum, omnia peccata per se accusanda confiteri nequeat, vel hanc accusationem differre possit ob aliquam e causis excusantibus, de quibus Puncto III dicetur.

Semper in confessione requiritur integritas formalis, cum nequeat unum peccatum mortale sine reliquis condonari. (n. 275) Quare oportet ut poenitens omnia peccata quorum conscius est, in eadem confessione accuset. Si igitur omitteret aliquod peccatum quod hic et nunc accusare possit et debeat, grave peccatum patraret. Idem extendendum est, ex constanti Ecclesiae interpretatione, ad peccatum quod jam indirecte fuerit remissum, puta ob praecedentem confessionem in qua poenitens illud inculpabiliter oblitus est. Ideo damnata est ab Alex. VII prop. 11<sup>a</sup>: "Peccata in confessione omissa seu oblita, ob instans periculum vitae aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere." Non semper requiri materialem integritatem inde liquet, quod non peccat qui nequit aliquod peccatum exprimere vel justam causam illud reticendi habet. Quare, si ceterae dispositiones requisitae adsunt, sacramentum effectu suo non carebit. (Struggl, n. 8. q. 3. n. 32)

**284. II.** Ad integritatem confessionis requiritur ut accusentur peccata **juxta speciem suam infimam**, quatenus eorum memoria cum debita et diligenti praemeditatione habeatur. Nam, cum Trid. (l. c.) requirat accusationem, non in genere dumtaxat, sed in specie, sensus proprius horum verborum est ut species infimae declarentur. Cfr. dicta de peccatorum distinctione Vol. I. n. 163 seqq.

Attamen in hoc argumento saepissime usu venit quod monet Lugo in Praefat. ad suum Tract. de Poenit. : "Non omnia quae juxta metaphysicam et scholasticam disputationem vera significantur, debere eo ipso aut posse in universum ad praxim applicari." Nam multi, in rebus religiosis rudiores, plures species infimas non distinguunt, et quandoque pro imbecillitate mentis nullatenus distinguere valent. Quodsi confessarius tales poenitentes de omnibus distinctionibus theologicis interrogaret, usus sacramenti poenitentiae jam plerisque fidelibus fieret exosus : quod repugnat intentionibus Christi Dni, qui voluit eum esse omnibus facilem. (Lugo. l. c.; Berardi, Prax. Conf. n. 4505) Insuper frustra se et poenitentem hac nimia importunitate torqueret confessarius. Nam quoad praeterita peccata, poenitens distinctiones illas confiteri non debet, utpote in actu peccandi sibi ignotas, ideoque mere materiales; quoad futurum vero, vel monitionem confessarii non intellegeret, vel, ob tricas illas, a confessione abstineret. Quandoque etiam ob defectum memoriae ab infima specie declaranda excusabitur poenitens. Ita qui graviter famae proximi detraxit, satisfaciet dicendo *graviter laesi justitiam* vel etiam *graviter peccavi*, si distinctius non meminit. (Lugo, disp. 17. n. 10)

**285. III.** Ad integritatem pertinet etiam ut accusefur **numerus peccatorum** : nam ex Trid. (l. c.) *omnia et singula* peccata mortalia accusanda sunt. Hujus legis sensum explicatum habes Vol. I. n. 164 seqq. Ad praxim adverte :

1<sup>o</sup> Si non constat numerus certus, dicendus est probabilis, addendo *circiter*. Quodsi deinde deprehendas te errasse, non teneris iterum confiteri, nisi notabiliter fuerit major. (Bus. ap. S. Alph. n. 466) Hinc oritur quaestio : qualis excessus comprehendatur in illa particula *circiter*, ita ut postea cognitus non inducat obligationem iterum confitendi. Dissentiunt Theologi. Communius dicunt, cum Lugo (disp. 16. n. 97), tanto majorem numerum hac particula comprehendere quanto major est numerus qui nominatur : hinc *tria circiter* sufficit pro *quatuor*, *decem circiter* pro *duodecim*, *centum circiter* pro *centum et decem*. Alii (Struggl, tr. 8. q. 3. n. 37) opinantur probabiliter non esse iterandam confessionem, nisi certo constet excessum pertingere ad quartam partem numeri, etiam magni, qui expressus fuerit. Ad praxim tamen parum faciunt istae

determinationes, utpote fidelibus fere omnibus ignotae. Si qui errorem a se admissum animadvertent, illum sponte manifestabunt, etiam ubi, juxta theoriam Theologorum, nulla foret obligatio.

2<sup>o</sup> Quando poenitens consuetudinem graviter peccandi diu fovit, plerumque praestabit ut interrogetur quotiens peccaverit singulis diebus, hebdomadis, mensibus, pro natura peccati et personae. Nam ita confessarius melius apprehendet, saltem in confuso, numerum peccatorum quam si poenitens sponte dicat vel interrogatus fateatur numerum magnum, puta centenas blasphemias, turpiloquia, etc. Solent enim praesertim rudiores, numerum aliquem prorsus magnum accusare, quo certius (ut opinantur) integritati confessionis satisfaciant, vel ab importunis confessarii interrogationibus extricentur. (Sporer, Theol. Sacr. de Poenit. n. 451; S. Alph. n. 466)

3<sup>o</sup> Quandoque etiam sufficet accusare pravam consuetudinem et tempus quo poenitens in ea versatus est: eo quod nihil amplius moraliter possibile sit. Sic satisfaceret meretrix dicendo quanto tempore perstiterit in hac condicione peccaminosa, dummodo addat speciem rarius occurrentes puta fornicationem cum clericis, et (si fieri possit) frequentiam fornicationum solitam singulis diebus vel hebdomadis. Item ei qui diu concubinam domi habuit eaque ut propria uxore usus est, satis est hunc statum et tempus fateri. (Lugo, disp. 16. n. 573 seqq.) Qui vero laborant consuetudine graviter culpabili blasphemandi, sed singulas blasphemias indeliberate eructant, non tenentur ad explicandum numerum blasphemiarum: quippe quae materialia tantum peccata sunt. Ipsi ergo sufficit dicere: Habeo inveteratam consuetudinem blasphemandi inadvertenter totiens quotiens se offert minima occasio. (Sporer, l. c. n. 455)

4<sup>o</sup> Non tenentur ad iterandam confessionem qui, bona fide, peccata sua numero non expresse determinato confessi, absoluti sunt, si postea numerum hunc distinctius apprehendunt vel etiam, doctiores facti obligationem qua tenebantur melius intellegunt. Praecipua ratio est: omnia illa peccata contenta fuisse in illa accusatione magis confusa, ideoque etiam directe remissa esse; nullam autem dari obligationem iterum clavibus subjiciendi peccatum jam per absolutionem directe remissum. (Lugo, disp. 16. n. 577 seqq.)

86. IV. Ad integritatem confessionis certo requiritur ut accusentur **circumstantiae speciem mutant**, ex. gr. occisam esse personam sacram. Ita diserte Trid. (Sess. 14. c. 6), addita ratione "quod sine illis peccata ipsa, neque a poenitentibus integre exponantur, neque iudicibus innotescant, et fieri nequeat, ut de gravitate criminum recte censere possint et poenam quam oportet pro illis poenitentibus imponere." Idem tenendum de circumstantiis quae mutant speciem *theologicam* (Vol. I.

n. 35), saltem quatenus hoc necessarium est ne confessarius grave peccatum existimet quod leve est, vel vice versa.

E contra certum est nullam esse obligationem confitendi circumstantias leviter aggravantes, utpote venialia tantum peccata, vel leviter minuentes, utpote ad culpae substantiam non pertinentes.

V. Ad integritatem probabilius non requiritur accusatio circumstantiarum quae peccatum notabiliter **intra eandem speciem aggravant**, ratione durationis, personae peccantis vel laesae, et similium. Ita sentiunt S. Th. (in 4. d. 16. q. 3. a. 2), S. Alph. (n. 468) et communissime recentiores.

Ratio praecipua est non constare de lege, qua tales circumstantias accusare jubeamur. Nam Trid. (l. c.), dum jubet accusare circumstantias quae speciem mutant, satis innuit nullam esse obligationem reliquas exprimendi. Addi potest: Christum praecepisse tantum ut confiteamur peccata; eum autem qui explicat speciem et numerum peccatorum vere et proprie confiteri sua peccata. (Lugo, disp. 16. n. 113) Insuper hujusmodi obligatio confessarios et poenitentes in perpetua dubia conjiceret, cum tam difficile sit discernere utrum circumstantia notabiliter an leviter tantum aggravet.

Multi tamen AA. paulo antiquiores, ut Suar. (disp. 22. sect. 3), Sanchez (in Dec. l. 2. c. 21), etc. opinati sunt vigere hanc obligationem: quia omnes rationes allegatae a Trid. (Sess. 14. c. 5), ad probandam obligationem confitendi circumstantias speciem mutant, conveniunt et reliquis circumstantiis notabiliter aggravantibus. Sed falso id asseritur: secus enim Tridentinum aequè debuisset declarare obligationem confitendi has posteriores circumstantias. Etiam his reticitis, nullum est peccatum quod non exponatur et de cujus gravitate specifica et essentiali judicare nequeat sacerdos, licet non cognoscat distincte malitiam individualem: quod, utpote scitu difficillimum, Christus non requisivit. Tandem, in poenitentia imponenda, sufficit servare aequalitatem quae non sit ad amussim exacta, ut ex ipsa praxi liquet. (Lugo, disp. 16. n. 114 seqq.)

Convenit tamen inter omnes poenitentem teneri ad respondendum confessario interroganti de circumstantia necessaria vel utili ad iudicium suum efformandum de statu poenitentis, remediis praescribendis, etc. Hoc enim interrogandi jus manifeste Christus contulit sacerdotibus, dum eos, tamquam iudices et medicos, hoc sacramentum administrare voluit. Ita nemo tenetur ad consuetudinem peccandi sponte declarandam; nihilominus damnata est ab Innoc. XI prop. 58<sup>a</sup>: "Non tenemur confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem." Cfr. Viva in prop. 60<sup>am</sup> n. 16. Similiter qui dicit se ter fornicatum esse

satisfacit, sive ter cum eadem, sive cum tribus diversis fornicatus sit : nam, seclusa nova specie quae e qualitate personae, ex, gr. voto castitatis vel matrimonio ligatae, oriatur, nulla est obligatio indicandi diversas personas quibuscum peccatum sit. Attamen confessario interroganti respondere debet poenitens, utrum cum una an cum pluribus haec tria peccata commiserit : nam facilius versabitur in proxima occasione peccandi si ter cum eadem peccaverit. (La Croix, l. 6. p. 2. n. 18) At si nulla esset ratio seu necessitas sciscitandi, nequit imponi poenitentis obligatio respondendi. (Ball. P. n. 355)

**287. QUAER.** Quae circumstantiae mutant vel non mutant speciem.

**RESP.** Plerumque in singulis argumentis perpendimus dubia de speciebus, quae praecipue ad praxim faciant. Hic duo tantum addemus.

1<sup>o</sup> Circumstantia dignitatis personae, puta superioris, magistratus, sacerdotis, heri, etc. non est necessario accusanda in peccatis commissis cum subditis, famulis, ancillis, etc. Nam per se ad summum est circumstantia aggravans. Attamen quandoque erit declaranda, eo quod inde ortum erit peccatum specificè diversum. Ita specialiter peccant contra pietatem parentes, ludimagistri, duces spirituales, ut parochus, praelatus etc., qui pueris vel fidelibus sibi commissis gravi scandalo sunt : hi enim, non autem heri, *e munere suo* habitualiter obligantur ad mediocrem saltem diligentiam circa salutem suorum clientium. (Lugo, disp. 16. n. 357 ; Lehm. II. n. 310)

Confessarius vero qui peccat cum poenitente, per se non tenetur ad hanc circumstantiam declarandam : nam ejus peculiaris obligatio procurandi salutem poenitentis incipit et desinit cum actu confessionis, nisi forte ab ipso poenitente electus et assumptus sit in patrem spirituales, idque munus habitualiter acceptarit et retineat. Insuper accedere potest malitia gravis sacrilegii si peccatum, praesertim carnale, commisit in iis adjunctis, ut propterea sacramentum reddatur odiosum, ex, gr. si quis sub praetextu quod curam spiritualem mulieris ejusdam gerat, eam frequenter invisat et ita ad peccandum alliciat. (Lugo, disp. 16. n. 351 seqq.). Seponimus hic casum sollicitationis, de quo n. 394 seqq.

2<sup>o</sup> Peccata commissa contra parentes induunt gravem malitiam contra pietatem, quando per se graviter laedunt bonum quod liberi parentibus procurare debent, quale est bonum vitae, salutis, incolumitatis, honoris, famae : id enim graviter adversatur speciali obligationi quam pietas liberis erga parentes imponit. Ideo in peccato gravis detractionis vel odii, exprimenda est circumstantia haec quod contra parentem commissum sit ; eadem in peccatis furti taceri potest, quotienscumque peccati gravitas e ratione boni communis, non autem e gravi damno quod reapse parentes

ipsi ex hoc furto passuri sint, oritur. Cfr. Vol. I. n. 506. Eadem regula valet de peccatis quae committuntur a parentibus contra filios, vel inter alios descendentes et ascendentes, inter virum quoque et uxorem. Inter fratres autem et sorores potest quoque oriri specialis malitia in peccatis quae ad invicem committunt ; requireretur tamen malum multo gravius, puta fratricidium, vulneratio gravis, infamatio notabilis, vel odium quo ejusmodi mala desiderarentur. Tandem e gradibus remotioribus consanguinitatis probabilius non oritur, in hujusmodi peccatis, gravis malitia specificè diversa, ideoque hanc circumstantiam poenitens tacere potest. (Lugo, disp. 16. n. 298 seqq.)

**288. VI.** Ad integritatem confessionis per se non requiritur ut poenitens declaret utrum haec peccata sua jam antea confessus sit necne : nam peccatum in utroque casu idem est. Hinc nihil obstat quominus in confessione generali peccata pristina recentibus admisceantur, nisi forte confessarius ita inducatur in errorem circa speciem peccati vel alia necessario ab eo cognoscenda, puta quia intellegeret peccatum turpe commissum esse antequam poenitens votum emisisset, dum reapse postea commissum sit, vel poenitentem jam dereliquisse occasionem proximam in qua adhuc versetur.

Si vero poenitens disertè significaret peccatum reapse recens jam fuisse alias accusatum, ex, gr. praemittendo formulam : " Deinde accuso me etiam de peccatis praeteritae vitae, praesertim quod... ", multi AA. censent hanc confessionem esse invalidam : quia non accusatur peccatum quod solum factum est, ex, gr. ante octo dies, sed peccatum quod non contigit, ex, gr. quod factum esset ante mensem. Similiter iidem duplex mendacium graviter peccaminosum detegunt in confessione illius qui diceret se occidisse Caium dum occidit Sempronium, se furatum esse apud Petrum dum furatus est apud Paulum, etc. Id tamen plures, ut Lugo (disp. 16. n. 53), dubitantur asserunt ; alii vero (Ball. in nota ad Gury, II. n. 488 ; D'Annib. III. n. 309. nota 60 ; Buccer. Theol. Mor. de Poenit. n. 58. etc.) probabilius negant, existimantes in his per se non reperiri nisi veniale mendacium. Reapse enim accusatur peccatum commissum, addita tantum circumstantia quae regulariter taceri poterat et in qua confessarius per se non decipitur circa scitu necessaria. Quare, si talia ex errore prolata fuissent, nemo poenitentem obligaret ad iterandam confessionem. Videtur tamen graviter peccare qui unicum peccatum mortale, quo ipsius conscientia oneretur, accusaret tamquam antea remissum : nam ita prorsus perverteret iudicium confessarii de statu conscientiae suae.

**289. VII.** Ad integritatem confessionis exprimendus est non tantum internus, sed et **externus actus** malus quo prior in ratione peccati completur, sive per commissionem, ut hominis occisio, sive per omissionem, ex. gr. Sacri audiendi. Nam confitenda sunt *peccata*: quo nomine proprie veniunt non tantum actus interni, ex. gr. volitio occidendi, omitendi Sacrum, etc., sed et facta vel dicta contra legem Dei. (Vol. I. n. 150) Idem patet, tum ex universali fidelium consuetudine, tum ex impossibilitate in qua versaretur confessarius rite iudicandi de statu et obligationibus poenitentis, qui solos actus internos manifestaret. Hinc etiam non sufficit fateri positam fuisse causam pollutionis, puta per deliberatas cogitationes graviter turpes, sed ipsa pollutio simul inde secuta declaranda est.

Probabilius vero non sunt necessario confitendi meri **effectus** qui e peccato sequuntur, quando actus liber jam omnino desiit, puta mors inimici e veneno propinato secuta, blasphemiae in ebrietate prolatae, pollutio nocturna e pravis cogitationibus voluntarie admissis oriunda, etiamsi isti effectus a peccante praevidentur. Hi enim effectus proprie peccata non sunt, siquidem actu peccare nequit qui actu non agit; is autem qui causam peccaminosam posuit, potest nihil agere, immo dormire, dum effectus illi sequuntur. (Lugo, disp. 16. sect. 9; Ball. P. de Pecc. n. 48 seqq.) Hinc practice licet posthabere sententiam, quam cum multis aliis tenet S. Alph. (l. 2. n. 10; l. 5. n. 149): explicandos esse illos effectus quando sequuntur antequam voluntas prava retractata sit, quia haec voluntas moraliter perseverans sufficit ut, quod ex ea provenit, voluntarium et peccaminosum denominetur.

Per accidens potest dari obligatio confitendi tales effectus, puta quia, effectu secuto, incurritur censura, exurgit officium restituendi, etc. Ideo et confessarius de his quandoque interrogare debet.

#### Punctum II. De peccatis dubiis.

**290. I.** Nemo tenetur ad confitendum peccatum de quo **probabiliter** iudicat id a se factum non esse, vel non esse mortale (ob levitatem materiae vel consensus imperfectionem), vel jam esse confessione expiatum. Ita, teste Lugo (disp. 16. n. 58), communiter docent omnes. Ratio patet e principiis de probabilismo datis. Nam in singulis ex his tribus casibus, exurgit iudicium probabile in favorem libertatis. Contradicit quidem S. Alph. (n. 477) quoad tertium casum: quia obligationi certae non satisfit impletione dubia. Sed principium hoc jam supra (Vol. I. n. 80) rejecimus.

Attamen qui in articulo mortis probabiliter iudicaret se non esse in

statu gratiae, deberet hunc sibi moraliter certum efficere, sive per actum perfectae contritionis, sive per confessionem, in qua nihilominus hoc peccatum positive dubium non teneretur confiteri. (S. Alph. n. 473)

**II.** Urget obligatio confitendi peccata quae poenitens iudicat probabiliter a se cum culpa gravi commissa et nondum confessione expiata fuisse, si nullas habet rationes ad credendum probabiliter oppositum. Nam in hoc casu homo quamdam moralem certitudinem habet de peccato gravi commisso, necdum expiato: cui obsecundare debet, eo quod in tali argumento saepe major certitudo haberi nequit. (Lugo, l. c.; Ball. P. n. 376)

**III.** Quando quis **negative dubitat** num peccatum reapse commiserit vel utrum sit mortale an veniale, ac proinde neutri parti cum probabilitate adhaerere potest, juxta sententiam communiorem (Suar. disp. 22. sect. 9; Lugo, disp. 16. n. 61 seqq.) datur obligatio peccatum accusandi ut dubium. Varias rationes varii afferunt. Arguunt plures (Suar. l. c.) e Trid. (Sess. 14. c. 5) jubente peccata accusari ut sunt in conscientia. Lugo (l. c. n. 67), postquam cetera argumenta nutare ostendit, opinatur argumentum potissimum desumendum esse e praxi immemorabili totius Ecclesiae, qua constet hanc obligationem inclusam esse in ipsa sacramenti institutione.

Nihilominus S. Alph. (n. 474) probabilem censet sententiam ab hac obligatione excusantem, quia universe non constat de lege qua jubeamur confiteri peccata dubia. Ad primam rationem sententiae communiore respondet: Trid. non obligare poenitentes nisi ad confitenda "omnia peccata mortalia, quorum conscientiam habent." Conscientia autem est iudicium practicum de peccato commisso: quod non habetur ubi peccatum est negative dubium. Nec magis efficax est ratio deducta e praxi fidelium. Nam fideles solent etiam confiteri peccata probabiliter dubia: quod tamen adversarii liberum esse concedunt, nec constat utrum id faciant animo se obligandi an tantum ad majorem conscientiae pacem. (1)

(1) Multi AA. benigniori sententiae, saltem ut probabili, adhaerent tantum quando dubium vertitur circa ipsum factum peccati (La Croix, l. 6. p. 2. n. 606), et his videtur consentire S. Alph. (l. c.) dum, explicans verba S. Th. (in 4. d. 21. q. 1. a. 3. ad 3), dicit eum qui nescit deponere dubium utrum id quod commiserit leve sit an grave, teneri ad standum iudicio confessarii sui. Verum, ut advertit Lugo (l. c. n. 61), haec distinctio in consequenter inducitur: nam in utroque casu lex manet dubia: siquidem, licet constet peccatum esse, non omne peccatum est materia necessaria sacramenti poenitentiae.